

**De ulceribus in tractu intestinorum occurrentibus : dissertatio inauguralis
anatomico-pathologica ... / auctor Carol. Guilelmus Dammann.**

Contributors

Dammann, Carl Wilhelm.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Augusti Petschii, 1829.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c5qkn5qt>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
ULCERIBUS IN TRACTU
INTESTINORUM OCCURRENTIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS ANATOMICO - PATHOLOGICA,
QUAM
CONSENTIENTE
GRATIOSO MEDICORUM ORDINE
IN
UNIVERSITATE FRIDERICA GUILIELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI DEFERANTUR,
DIE II. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIX.
H. L. Q. S.

PUBLICAE DEFENSURUS EST
AUCTOR
CAROL. GUILIELMUS DAMMANN
WITTSTOCHIENSIS.

OPPONENTIBUS:
A. WICKERT, MED. ET CHIR. DR.,
E. KEMPER, MED. ET CHIR. DD.,
C. HONS, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHIL.

Imperfecta ut perfecta fiant,
Id potissimum hominum est studium.

E. R.

V I R O

PERILLUSTRI GENEROSISSIMO AMPLISSIMO

F. A. SCHULZ

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, INSTITUTI MEDICO-
CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI DIRECTORI SECUNDO,
SUPERIORI EXERCITUS REGII MEDICO, CRUCIS
FERREAE EQUITI ETC. ETC.

FAUTORI ET PATRONO

MAXIME DE SE MERITO

SUMME VENERANDO

NEC NON

A M I C O

CARISSIMO, DILECTISSIMO, OPTIMO

HENRICO KARSTEN

MEDICO ET CHIEURGO PRACTICO

VIRO HUMANISSIMO.

HASCE
QUAESCUNQUE PAGELLAS

SUMMAE PIETATIS

GRATISSIMIQUE ANIMI SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR.

AEQUIS LECTURIS.

Quascunque observationes per integrum annum, quo in nosocomio caritatis medico-chirurgi inferioris munere functus sum, circa ulcera intestinalia institui, occasionem mihi prae-buerunt, alterum cum altero comparandi. Quaratione maxima eorum diversitas mihi occurrit, atque hoc ipsum me commovit, ut pro viribus meis eam in clariorem lucem proponerem. Sed hoc grave atque permagnum opus non solum propter breve temporis spatium, quod mihi datum est, sed etiam propter arctos fines, qui praescripti sunt tali dissertationi, hoc igitur opus eas ob causas copiosius ac fusius pertractandum in melius tempus differre statui; nunc vero indicare solummodo volo, quid ab illo exspectandum sit. Nec de ulcerum theoriis, aut causis, aut exitu, aut curatione disse-rere mihi proposui, sed ad hunc finem enumerare tantum in mente est, quae in dissecandis cadaveribus ad oculos prodeunt. Praeterea

quod spectat ad symptomata ulcerum, haec valde fallacia sunt, fere nunquam certa, imo non raro plane desunt in hominibus, in quibus dissectione cadaveris ulcerum existentia extra omnem dubitationem posita est. Praeterlapso anno mihi etiam contigit, ulcera ventriculi carcinomatosa detegere, symptomata eorum autem essentialia, e. g. vomitus, durante vita fere nunquam aderant. Praeterea exsudationes, emolli-
tiones, rubedines tractus intestinorum indicabant inflammationes, quae sine symptomatibus decurrerunt, aliis autem in casibus, ubi ulcera jure expectari poterant, ne ullum vestigium quidem inveniri poterat. Hac ratione multi abdominis morbi decurrunt, et Viro Perillustrissimo *Guilelmo Hufeland* plane assentiendum est, si incerta morborum abdominalium symptomata inde derivanda esse dicit, quod per gangliorum connexum impressiones non recta via et justo modo ad conscientiam perveniant. Sed haec omnia omittamus, *ulcera ipsa intestinalia tantum in cadaverum dissectionibus inventa* describere volui.

Ac vos quidem L. B. benigne, ut hasce qualescunque Pagellas excipiat, omni, qua par est, observantia rogo.

Ulcera intestinalia antiquis medicis jam nota fuerunt, sed parum accurate.

Hippocrates ¹⁾ in „*ἅπαντα*” enarrat morborum historias, sed ulcerum intestinalium obiter tantum mentionem fecit, et nunquam ei in mentem venerat, diversas proponere formas.

Aretaeus ²⁾ ad sedem respiciens, dicit: „Jam „interest inter sedem, an in intestinis crassis, aut „tenuibus superveniant.”

Tum *Galenus* ³⁾, cui inter clarissimos antiquitatis Graecorum medicos eximias laudes referre oportet, enumerandis iis ulcerum intestinalium symptomatibus studet, e quibus jam durante vita ulcerum sedem dignoscere licet, dicens:

¹⁾ *Hippocratis „ἅπαντα*” Editio *Kuehnei*, Lipsiae 1826. Tom. II. pag. 401.

²⁾ *Aretaei „ἅπαντα*” Editio *Kuehnei*. Lipsiae 1828. p. 153.

³⁾ *Claudii Galeni „ἅπαντα*” Editio *Kuehnei*. Lipsiae 1824. Tom. VII. pag. 247. Tom. VIII. pag. 25, 43 — 85.

„Intestinum ulcere affectum nemo dubitaverit,
„et vero an in exilioribus intestinis, an crassis ul-
„cus consistat, nondum manifestum est, sed ut nu-
„per dicebamus, et ex ramentorum specie, et exitus
„tempore, et tertio ex mixtione cum stercore, modo
„majori, modo minori aut etiam nulla distinguetur.
„Nam infirmarum partium ulcera nullo modo ul-
„cerum habent notas alvi excrementis admixtas,
„partium vero paulo superiorum ulcera mixtas qui-
„dem cum stercore habent notas, sed leviter dun-
„taxat, quemadmodum, si multo sunt superiora
„vehementior erit mixtura, praecipue vero in su-
„premis intestinis ulceris propria vehementer ster-
„cori admixta.”

Theophilus Bonetus ¹⁾ etsi saepius de ulceri-
bus loquitur iutestinalibus, tamen uno tantum loco
symptomata ipsa, et quidem ulceris scabiosi, enu-
merat.

Brunn ²⁾ tantum perpaucis verbis ulcus carci-
nomatosum describit.

Tulpius ³⁾ saepe in hominibus, dysenteria la-
borantibus, post mortem in intestino crasso ulcera
vidit, sed nunquam ei placuit, illorum formam ac-
curatius designare.

¹⁾ *Theophili Boneti*, Sepulchrestum sive Anatomia prac-
tica. Genevae 1679. p. 853.

²⁾ *Joanni Conradii Brunnei*, Glandula duodeni seu Pan-
creas. Francofurti et Heidelbergae 1715.

³⁾ *Nicolai Tulpii*, Amstelodamiensis, Observationes medi-
cae. Edit. nova. 1685. p. 205.

Et ipse ¹⁾ *Morgagni* in libro tertio de intesti-
norum morbis observationes suas communicat, ubi
post dysenteriam, diarrhoea sine torminibus succe-
dente, ultimam ilei intestini, primam coli partem,
invenerit exulceratas.

Bassius ²⁾ jam loquitur de ulcusculis, quoad
formam inaequalibus, duris callosisque labiis, in
quibus tunica nervea usque ad musculorum tuni-
cam erosa ac consumpta fuit. Obveniebant ei in
intestinis exulcerationes uno fere tractu seu serie
procedentes, et in modum articulorum catenae ad-
haerentes, quarum una ab altera semper ad disten-
tiam pene transversa digiti, nonnunquam pollicaris
articuli aberat. Plexus glandulosi Peyeriani (inter-
dum satis conspicui) defuere, hinc haud immerito
conspicari licuit, praesertim, cum interdum erosiones
ulcerosae eadem distantia a se invicem, eodemque
loco, quo supra dictae glandulae alioquin cernerentur,
adfuissent, ulceratione depastas et consumptas
esse glandulas, quibus ex verbis jam elucet, ul-
cera initio eas occupasse et tunc in ceteras partes
transiisse.

Nec improbabilem sententiam proponit *Hop-
fengaertner* ³⁾, dum mentionem fecit ulcerum modo
fungosorum, modo menstrualium, modo putridorum.

¹⁾ *Morgagni*, de sedibus et causis morborum per anatomen indigat. Lib. V. Lugdini Batavorum, pag. 42.

²⁾ *Henrici Bassii*, in Alma Fridericiano. Observationes anatom. chirurg. et med. Halae 1731. pag. 235.

³⁾ *Hufeland's Journal*. Januar 1798. pag. 523.

Ulcera carcinomatosa, et Scyrrhos in colo vidisse contendit *Pringle* ¹⁾, quod valde dubitandum est.

Notatu dignae sunt observationes *Cruveilhierii* ²⁾ in cadaverum dissectionibus, nam qui illas legit, certior fit de cognoscendis ulceribus menstrualibus, mere scrophulosis, et putrido-scrophulosis.

Pichlin ³⁾, *Ettmüller* ⁴⁾ et *Kaeteler* ⁵⁾ descripserunt ulcuscula aphthosa a labiis usque ad ventriculum et ad infimas tractus intestinorum partes dispersa.

Nicolaus Leoniceus ⁶⁾ jam *Galeno* hoc notum fuisse contendit, qui tunicam internam glabram intestinorum, interdum corrosam, ulceribus parvis, aphthis oris similibus se vidisse dixerit.

John Abercrombie ⁷⁾ commemorat diversas ulcerum formas, sed solummodo tempore mutari, et tali modo quodque ulcus plures gradus absolvere, dicit, sed res longe aliter se habet, et rationes, quas affert, valde invalidae sunt et inermes.

¹⁾ *John Pringle's Krankheiten der Armee von Brande. Altenburg 1772. pag. 290, 256, 338.*

²⁾ *Cruveilhier's Medicae pratique eclaire par l'antome et physiologie. Cap. I. 1821. pag. 30, 139.*

³⁾ *Pichlin, Observat. XXVI. Lib. I.*

⁴⁾ *Ettmüller, Prax. med. Pars II.*

⁵⁾ *Kaeteler, de aphthis. pag. 15.*

⁶⁾ *Comment. in XII Aphoris. Sectio IV.*

⁷⁾ *John Abercrombie's Krankheiten des Darmkanals, übers. von Hennrich Wolff. Bonn 1822. pag. 133.*

Joannes Cloquet ¹⁾ et *Billard* invenerunt saepe ulcera, quae pro descriptione magnam habuerunt similitudinem cum ulceribus syphiliticis, scorbuticis, haemorrhoidalibus menstrualibusque.

Hesse ²⁾ non dubitat intestinorum emollitionem accusandam esse ut causam sufficientem ulcerum producendorum, sed jam ante hunc morbum illa adfuisse ulcera, aequo cum jure ei respondendum est, nam nihil obstat, quin in hac opinione perseveremus, etsi verisimilius est, formam ulceri solummodo per dyscrasiam tributam esse.

Hergt ³⁾ observavit in homine, febre nervosa laborante post mortem in Ileo septendecim ulcera, quae manifestum characterem ulceris carcinomatosi prae se ferebant, praecipue glandulae Peyerianae affectae erant.

Wagner ⁴⁾ distinguit tres diversas ulcerum formas, sunt nempe ulcera, quae aut in febribus nervosis aut in phthisi tuberculosa aut in dysenteria obveniunt, sed haec divisio manca, minime probanda est.

¹⁾ Nouveaux Journal de Medecin par *Blecard*, *Cloquet*. Tom. I. Janv. 1818.

²⁾ Ueber die Erweichung der Gewebe und Organe des menschlichen Körpers. Leipz. 1827. S. 188. 29. 107.

³⁾ Annalen für die gesammte Heilkunde unter der Redaction der Mitglieder der Großherzogl. Badenschen Sanitäts-Commission. III. Jahrgang. 2tes Heft. Karlsruhe.

⁴⁾ Medizinische Jahrbücher des Kaiserl. Oesterreichischen Staats. Bd. III. St. 10.

Memoratu digna sunt, quae praefectus chirurgorum divisionis castrensi Dr. *Wasserfuhr* experientia edoctus est, cujus rei certiores facti sumus a Doctore *Eduardo Graefio* ¹⁾. Ulcera nempe saepe vidit in hominibus febre nervosa, quam febris gastrica antecesserat, defunctis, in intestinis tenuibus diversae magnitudinis et labiis fungosis praedita, quae eo profundius in intestina penetrabant, quo propinquiora erant intestino crasso. In uno et eodem cadavere vidit ille tunicam villosam laxatam, et crassiorem, insulas quasi formantem, et ex iis nascebantur ulcera.

Bright ²⁾ multos phthisicos observavit, quorum intestina post mortem ulcusculis obsita erant. Saepius ab ipso exordio ulcerum formas observare ei contigit, dum maculae tantummodo erant. Sed non solum in phthisi, sed quoque in morbis primariis intestinorum glandulas inflammatione correptas, ulcera et cicatrices detegbat. De diversa eorum forma breviter obiterque loquitur.

Novissimis temporibus magnam navavit operam aestimandae ulcerum dignitati clarissimus *Broussait* ³⁾. ⁴⁾ Ubique gastro-enteritidem vidit, et

¹⁾ Journal der Chirurgie u. Augenheilkunde von v. *Graefe* u. v. *Walther*. Bd. XI. Heft 1. 1828.

²⁾ Reports of medical Cares selected with a view of illustrating the Symptoms and Care of Discrases legarese to Morbid Anatomie. London 1827.

³⁾ Histoire de Phlegmasies ou inflammations chroniques à Paris 1816. Bd. I., II.

⁴⁾ Annalen f. d. gesammte Heilkunde unter der Redaktion

quod spectat ad ulcera, bene perpendit eorum causas, quamque vim exercent in corpus humanum. De singulorum ulcerum forma perpauca eademque obiter nobiscum communicat.

Illustrissimus *Neumann* ¹⁾ quoque detegit fere omnibus in hominibus, febre petechiali simili laborantibus, post obitum in intestinis ulcera magna ex parte in Ileo prope valvulam Bauhini rotunda, areola inflammatoria, circumscissa, interdum etiam ex parte gangraenosa. Inter haec et vaccinarum pustulam, quae nono die percipitur, parvam tantum interesse diversitatem, contendit. Rotunda forma semper iis propria, sed in decursu profundius penetrant, imo usque ad peritoneum. Glandulas Peyserianas praecipue ab initio morbi morbosas esse, et in hisce primum ulcera percipi, experientia edoctus est. — Ulcerum originem a febre deducendam esse, certe crediderim, formam autem ulceris ab ipsa dyscrasia dependere opus esse, persuasum mihi habeo.

Sed si omnia systemata diligenter atque accurate nobiscum perpendimus, perquam imperfecta, nec certis finibus descripta, inveniemus. Namque

der Mitglieder d. Großherzogl. Badenschen Sanitäts-Commission. Jahrgang II. Heft 2. 1826.

¹⁾ *Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde.* 64. Bd. 3. Stück. März-Heft. 1827. pag. 90 — 110.

fere omnia carent accurata descriptione, symptomata solummodo *appellantur*, ex quibus id tantum conjici potest, ulcera *adesse*, nullo respectu habito aut dyscrasiae in corpore versantis, aut sedis, aut originis aut exterioris formae; qua ipsa de causa imperfecta habenda sunt. Nec non maximi momenti videtur, haec ipsa accuratius inquirere.

Quid igitur illi sententiae oppugnat, qua quandam analogiam ulcerum tractus intestinorum et ceterarum corporis partium esse, contendimus? Nam constructionem tractus intestinorum respicientibus magno-pere similis esse videtur singulis corporis superficiei partibus. Epidermis enim respondet epitelio, cutis tunicae mucosae, muscoli musculis, et tela cellulosa telae cellulosae. Jam ipsis in oculis conspiciamus singulas ulcerum formas, quae dyscrasiam totius corporis produnt, eandemque sedem, quam ceteris partibus, obtinent.

Quibus omnibus in diversissimis obductionibus diligentissimo studio observatis (quarum in nostro nosocomio caritatis saepissime occasio mihi data est) operae pretium esse duxi, conari, singula ulcera *pro origine et indole* certioribus describere finibus. Nec mirandum est (quod jam saepe in ulceribus, externas partes occupantibus, evenit) quod ulcera formam, dyscrasiae aut cachexiae respondentem, non per longum temporis spatium obtinent; multae nocentiae enim e. g. acrimoniae morbosae, bilis morbosa, cetera, properant mutationem; huc accedit, quod bene respiciendum est,

est, propinquitas fontis vitae vegetativae, ubi alterationes eo citius procedunt. Conditiones, ulceribus producendis inservientes, sunt porro multo faustiores in intestinis, quam in externis partibus. Omne fluidum, quod retinetur e. g. obstructione alvi, irritat, et irritatio novas semper gignit irritationes. Epithelium ipsum praeterea tenuius est epidermide, arteriae et venae tractus intestinorum multo procliviores sunt ad stagnationes efficiendas, et hac ipsa re simul facile producuntur degenerationes, ex quibus rursus facile ulcus prodire potest. Nil impedit, quo minus in intestinorum ulceribus eodem modo ac in ulceribus externis praecipue *Originem, Indolem Sedemque* respiciamus. Respectu *Temporis*, per quod ulcera durant, externa aliam ineunt mutationem, ac interna, nam ulcera *habitualia* nequaquam in intestinis obvenire possunt, mox perturbatur iis vita vegetativa, chyli resorbtio haud juste procedit, et crebriores alvi excretiones moventur. His omnibus rebus corpus humanum facile debilitatum et exhaustum redditur, exindeque mox sequuntur hydrops, tabes, alia. Facile tandem intelligitur, in intestinis crassis diutius ulcera posse existere, ac in tenuibus.

DE ULCERUM ORIGINE.

Respectu *originis* sunt ulcera aut *idiopathica* aut *sympathica*.

A. *Topica* semel tantum observavi *ulcera* ex corrosione orta. Labia erant non distincte finita, areola nulla, et fundus neque prominens, neque excavatus erat. Tunica mucosa autem totius tractus intestinorum erat, propter abusum spirituosorum, ex quibus deducenda erant ulcera, rubescens.

B. *Ulcerata sympathica* persaepe observare mihi contigit. Modo sunt *consensualia* sive *symptomata*, modo *antagonistica*.

a. *Ulcus consensuale* et quidem *gastricum* bis vidi. Durante vita dyspepsia, colica, nausea, vomitatio, flatulentia, diarrhoea et alvi obstructio aderant, et post mortem jejunum et ileum obsita erant ulceribus, aphthosis haud dissimilibus, fundus tantum flavior erat, labia magis irregularia, ambitusque mollior, quam in aphthosis ulceribus esse solent.

b. *Ulcerata antagonistica* multa eademque diversa vidi.

a. *Ulcerata menstrualia* obsident praecipue colon fere nunquam ileum et jejunum, usque ad tunicam muscularem penetrant, in qua quasi excrescentias sarcomatosas procreant, quae nodulorum formam reddunt. Labia sunt irregularia, laxa et livida, eorumque rubedo minus saturatur, quam in ulceris ambitu, in quo vasa sanguifera uberius confluunt, et sanguine valde impleta sunt.

Haec ulcera saepius, quam omnia caetera, putridum assumere solent characterem.

β. *Ulceræ hæmorrhoidalia* eundem obtinent locum, præterea autem intestinum rectum; fundus et areola eodem modo se habent, labia in hisce interdum callosa, areola semper lividior.

γ. *Ulceræ exanthematica* mihi etiam obveniebant.

aa. *Ulcus scabiosum* semel mihi in adspectum veniebat, et quidem in foemina, hydrope et scabie simul laborante. Ulceræ erant exacte rotunda, penetrantia usque ad tunicam muscularem. In griseo ambitu non deerant vesiculae, elevationes epithelii.

bb. *Ulcus herpeticum* saepius inveni. In tunica mucosa semper sedem habebant, semperque rotunda erant forma. Labia erant persaepe corrosa, irregularia, interdum callosa, ambitusque ex griseo rubicundus.

Ad ulcera symptomata quoque referenda sunt

Ulceræ cacoehymica. Hæ ulcerum species deducendæ sunt ex cachexia aut dyscrasia corpori inhabitante.

Species hæ sunt:

a. *Ulcus scorbuticum*. Semel tantum mihi contigit illud observare. Per totum tractum intestinorum ulcuscula erant dispersa, excepto ventriculo. Levissima laesio certo sufficit ad hæc producenda ulcera, quum omnis sanguis dissolutus sit; fundum sordidum, sarcomatosum, fere planum, labia

striata, dissecta, irregularia et laxa, areolam lividiorum et diffusam adspectui praebent.

b. *Ulceræ scrophulosa* saepissime observavi. Inveniuntur aut in tunica mucosa, aut musculari, nec non in glandulis, imo et saepe in cellulosam telam, corrosis caeteris tunicis, propagantur. Non raro et ipsam hanc tunicam pessumdant, foramenque relinquunt intestini. — Si per accidens intestina corroduntur, latente in corpore dyscrasia, penetrant certo ulcera, quae mox gignuntur, ab epithelio usque ad cutem externam, interdum tantum usque ad tunicam mucosam, et constitutio sola, prout valida, aut laxa est, diversitatem hanc efficit. Glandulae Peyerianae, si inflammatione chronica laborant, intumescunt, emolliuntur, elevantque epithelium, et formant tumorem circumscriptum. Glandulae epithelio perforato, ulcus constituunt labiis subfossis, caeterum lividis, attamen planis. Fundus est in aliis laxus, in aliis fungosus, saepe ichore caseoso obtectus. Nunquam vidi haec ulcera tunicam cellulosam penetrasse, quod nonnulli auctores contendunt; quaedam semper tunicae cellulosae lamellae destructione correptae non sunt. Glandulae mesenteriales symptomatice intumescunt. Ulcera haec scrophulosa in phthisicis saepe occurrunt, si primum exorta sint, sine dubio mortem valde accelerant, propter turbatam quodammodo sublatam vegetationem. In phthisicorum cadaveribus dissectis invenimus persaepe *ulcera putrida*, quem characterem ultimo in phthiseos stadio acquirunt. Characterem

autem putridum nunquam prius assumunt, quam donec ad *muscularem tunicam* progressa sint. Exceptis duodeno et intestino recto, totum intestinorum tractum occupant.

c. *Ulceræ arthritica* praecipue colon et coecum occupare solent, equidem autem et in caeteris intestinis haecce observavi. Eandem formam semper ostendebant, fundus nempe erat absque omni granulatione, inaequalis, callosus, subflavidus, labia erant irregularia, callosa, dura, areola saepe fusca et nonnulla vasa venosa annulum quasi formabant circa marginem, qualis in oculis conspicitur. Ulceræ tunicam mucosam non transgrediebantur.

d. *Ulceræ syphilitica* semel tantum observandi mihi occasio data erat, et quidem in homine post inunctionis curam defuncto. Ulceræ obtinebant ileum, jejunum et colon, et eorum fundus materia melli simili obtectus erat, labia fere rotunda, sed subcallosa erant, in circuitu apparebat quasi cingulum, colorem ex rubro fuscum reddens, quod non in omnibus ulceribus reperiiebatur,

e. *Ulceræ mercurialia*, quæ adeo in ventriculo inveni, et a pharynge usque ad anum dispersa erant, in tunica mucosa sedem habuere. Fundus continebat caseosam massam et labia erant irregularia, carebant areola. In ulceribus tam syphiliticis, quam mercurialibus, erat tunica villosa relaxata.

f. *Ulceræ aphthosa*. Jam sat notum est, hæc toto in tractu intestinorum obvenire, et marginibus

rubris tumescentibus, et fundo albido, et areolis rubicundis, sed non distincte rotundis exstructa esse.

Saepe in infantibus, in quibus dentitio aegre peragitur, reperiuntur, etiam in phthisi et tabe ad finem vergente, rarius in aliis cachexiis occurrunt. Comitantur saepe febrem putridam, gastricam, pituitosam, spectabilem magnitudinem nunquam adipiscuntur. Diarrhoeam vel Dysenteriam feбри decurrentem comitari solent, quod *Sydenhamius* ¹⁾ observavit.

g. *Ulcerata carcinomatosa.* Priusquam ulcus carcinomatosum apparet, conspiciamus in illo loco Scyrrhum. Hic a duritie, quam gignit in organis ipso laborantibus, nomen trahens, in variis organismi systematibus oriri potest, et semper cum induratione corporisque degeneratione conjunctus est. Notus fuit hic morbus jam antiquis medicis, jam *Galenus* ²⁾ et *Aretaeus*, alii, bene illum noverunt. Tot igitur tamque diversae sunt scyrrhi formae; si autem secundum anatomiae leges eam exploraveris fere hoc invenies:

Organum morbo correptum, si cohaerentiae modum adspicimus, densitatem et duritiem legitimam normalemque longe excedit. Duritie adaucta, volumen paulo tantum augetur. Scyrrhus in lamellas dissectus justo magis pallet et albicat. Ex duabis

¹⁾ Opuscula medica *Sydenhamii*. Sect. IV. Cap. III. p. 222.

²⁾ *Galenus*, Method. medend. Lib. XIV. Cap. 6 — 9. ejusd. de arte curand. Lib. II. Cap. 2.

denique scyrrhum constare substantiis altera *fibrosa*, *opaca*, altera fere *anorganica* et *pellucida* patet. Illa composita est ex fibris duris ligamentosis, quae ab eodem centro exortae, ad omnes peripheriae partes extenduntur, varioque modo se invicem secantes, cellulas formant, quae materiam pellucidam coloris vulgo subfusci, coerulei ex viridi canescentis, continent. Scyrrhum autem in Carcinoma ¹⁾ transiturum esse, suspicari possumus simulac ejus durities augetur, si color normalis rubescere atque in nigrum transire incipit. In epidermide cernuntur vesiculae et fissurae, ex quibus humores tenues effluunt. Num humores effluentes ambitum quoque corrodant, eundemque quasi morbum constituent, nescio, equidem nunquam de hac re experientia sum edoctus.

Ruptis integumentis, *apertus* seu *manifestus*, *integris*, *occultus* dicitur cancer. Ruptis enim integumentis, malignum et plane sui generis ulcus producit, cujus margo durus est, callosus, rimosus, modo incanis, modo niger. Carcinomatis formae merito duae distingui possent; fungosa et sphacelosa. Primam, in qua variae excrescentiae simul erumpunt, nunquam vidi in tractu intestinorum. Pylorus saepissime, rarius cardia et ventriculus ipse carcinoma ostendunt, semel tantum in intestino recto observavi. Ulcus carcinomatosum in glandulis solummodo obvenit, et eorum sententiam, qui in-

¹⁾ *Richter's Anfangsgr. d. Wundarznei. Th. I. p. 457.*

durationes scyrrhosas atque ulcera carcinomatosa etiam in tela cellulosa et in parenchymatosis intestinis in textura spongiosa, atque in membranis mucosis oriri posse contendunt, comprobare non possum.

Indolis et sedis ulcerum jam eo loco, quo de origine locutus sum, mentionem feci. Hoc unum tandem notatu dignum est, quod cutis externa, quae ulcerum sedi respondet, saepissime papulis, rubro ambitu praeditis, obsita sit, quae mox de ulcerum sede nos certiores faciunt.

Nec dubitari potest, quin, ut in externis corporis partibus, sic in intestinis complicata ulcera inveniantur.

CURRICULUM VITAE.

Ego CAROLUS GUILIELMUS DAMMANN confessioni addictus evangelicae, die quinto mensis Octobris Anno MDCCCV Wittstochii, oppido Prignitiae, patre AUGUSTO LUDOWICO, praematura morte mihi erepto, cuius obitum jam per plures annos lugeo, matre autem carissima e stirpe GRELL adhuc vivente, natus sum. Lyceum in urbe antea memorata septem per annos frequentavi, privatim praeterea a pastore evangelico GRAEFE, optime de me merito, viro humanissimo, doctissimo, usque ad mortem reverendo, eruditus sum.

Anno MDCCCXXIV Berolinum me contuli, ubi mense Octobri Instituti regii medico-chirurgici Fridrico-Guilelmiani civibus adscriptus, per quadriennium, ut studium medicinae absolverem, hisce Illustr. et Cel. Virorum praelectionibus assidue interfui:

De philosophicis Illustr. HEGEL et Cel. WOLFF disserentes audiui; de methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum et dentium, de anatomia comparata, et pathologica Illustr. RUDOLPHI, de osteologia, splanchnologia, et syndesmologia Illustr. KNAPE interfui praelectionibus. Iisdem Illustr. Viris arte cadavera rite dissecandi institutus sum; historiam naturalem universam,

botanica Illustr. LINK, Zoologia Illustr. LICHTENSTEIN, physica, chemia, et pharmacia Cel. TURTE, Illustr. HERBSTAEDT, et Illustr. MITSCHERLICH, mihi tradiderunt. Physiologia, cum generalem tum specialem Illustr. RUDOLPHI, Cel. ECK et Cel. SCHULZ me docuerunt. Frequentavi praelectiones Illustr. FRD. HUFELAND de pathologia generali, de semiotica et therapia tam generali, quam speciali, Illustr. HORN de pathologia speciali, de vesaniis et de morbis syphiliticis. In therapia speciali Perillustr. GUIL. HUFELAND praeceptore gavisus sum, nec non interfui praelectionibus Illustr. OSANN de materia medica, de auxiliis in subito vitae periculo ferendis, et de fontibus medicatis. Artem formulas medicinales concinnandi mihi tradiderunt Illustr. KNAPE et Cel. CASPER, quippe qui artem quoque medicamina praeparandi me edocuit et infantum morbos mihi tradidit. Celsi de medicina libros Cel. HECKER mihi interpretatus est, qui simul exercitationes disputandi moderatus est.

Chirurgiam generalem, fascias rite applicandi praecepta, de ossibus fractis et luxatis doctrinam, artem obstetriciam Illustr. KLUGE me docuit. Tradidere mihi ophthalmiatricen Illustr. JÜNGKEN, medicinam forenses Illustr. KNAPE, chirurgiam specialem Illustr. RUST, akiurgiam Illustr. Illustr. triumviri DE GRAEFE, KLUGE et RUST.

In Clinicis autem medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis Illustr. Illustr. GUIL. HUFELAND, NEUMANN, DE GRAEFE, RUST et JÜNGKEN exercitatus sum, nec non gloriore exercitationibus medico-clinicis duce Illustr. BARTELS.

Quibus studiis peractis, medico-chirurgi inferioris

munere in nosodochio caritatis Berolinensi per annum functus sum.

Jam vero tentamine, tam philosophico, quam medico, et examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate legitime superatis, fore spero, ut dissertatione, quam conscripsi, et thesibus rite defensis, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

Quibus impetratis, medici militaris inferioris munera suscepturus, Glogaviam majorem me conferre jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Partus praematurus praeferendus est sectioni Caesareae et perforationi foetus.

II.

Praeter pulmones etiam cutis ad perfectiorem sanguinis gradum efficiendum confert.

III.

Venaesectio sciscitatoria rejicienda est.

IV.

Ulcus carcinomatosum in glandulis solummodo obvenire, contendo.

V.

Non existit remedium prophylacticum.
